DE

DORISMI NATURA ATQUE USU

IN TRAGOEDIARUM GRAECARUM DIVERBIIS ET ANAPAESTIS.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

RICHARDUS DRESSEL

BEROLINENSIS.

IENAE, 1868.

TYPIS RATII.

De tragicorum dialecto quid in universum statuendum sit, inter omnes constat, in diverbiis, ut G. Hermanni verbis utar,[1]) „tragicos antiqua Atticorum lingua usos esse, quae neque vulgi sermonem ut comoedia imitaretur, et licet magis pedestris esset, quam epicorum aut lyricorum dictio, tamen supra prosae orationis tenuitatem assurgeret,“ in lyricis fabularum partibus Dorismum admisisse, qui in α producti pro η usu constat.[2]) De singulis quae tragici habent peculiaria, postquam editores tragoediarum doctissimi passim verba fecerunt, Th. C. G. Schneiderus et Kühlstaedtius[3]) illorum observationes collegerunt, ceteroquin nihil de suo adiicientes. De tragicorum dialecto Dorica seorsum egit Ellendtius in praefatione lexici Sophoclei tom. II. accuratissime Doricis formis collectis. Tragicos saepissime tangit etiam Henricus Ludolfus Ahrens in libro copiosissimo

1) Initio ingeniosae illius de omisso in trimetris augmento commentationis ante Euripidis Bacchas impressae p. VII.

2) Aeolica apud tragicos perrara sunt; scripserunt de iis Valk. ad Phoen. 1031, Musgravius ad Eur. El. 624, Giese, über den aeolischen Dialect p. 285.

3) Th. C. G. Schneiderus Wimariensis: de dialecto Sophoclis ceterorumque tragicorum Graecorum, Ienae 1822. Kühlstaedtius; observationes criticae de tragicorum Graecorum dialecto, Revaliae 1832.

de dialecto Dorica, Gottingae 1843. De hoc eodem argumento duobus annis ante commentationes prodierunt H. Schaeferi: „de Dorismi in tragoediis Graecis usu“ in programmate gymnasii Cottbusiani et Althausii Berolinensis dissertatio inauguralis „de tragicorum Graecorum dialecto, pars prior: de Dorismo.“ His libris et nonnullis aliis, qui ubi opus erit, laudabuntur, usum me esse ut par est gratus confiteor. Itaque cum ad hanc quae mihi proposita est commentationem scribendam multa iam praeparata atque collecta invenerim, nonnulla brevius perstringam et vocabulorum enumeratione quam illi viri docti diligenter instituerunt, supersedebo; tamen quia mihi non de omnibus rebus idem placet, Dorismi naturam atque usum apud tragicos ab initio adumbrare liceat.

A vocalem in dialecto Ionica in η transire videmus multis exemplis, quam mutationem Ahrensius cum Anglorum α longo non aliter quam e sonante comparat.[1]) Althausius linguam Theodiscam ad comparationem adduxit, sed accuratius rem exponere debebat. A brevis enim, quae in stirpe vocabuli est, ubicumque produci natura flexionis poscit, in η transit, atque id quidem si initio aut exitu vocabulorum apparet, Ionicae et Atticae dialectorum proprium est; locus enim est huic mutationi imprimis in prima declinatione: μοῦσα—μούσης, in verbo puro in αω exeunte: τιμάω — τιμήσω, in augmento: ἄγω — ἦγον, in derivatione: τιμάω — τίμησις — τίμημα, in commissura vocabulorum: ἄλλος — ἀλλήλων. Intra stirpes autem vocabulorum illa mutatio similis videtur esse earum, quas in nostra lingua Grimmius primus

1) de dial. Dor. p. 127.

„Ablaut, Umlaut, Brechung, Trübung“ vocavit. Exempla ex Ionico et Attico sermone sunt haec: ἄγω—ἡγοῦμαι—ἡγεμών, ἀνδάνω—ἅδον—ἥδομαι—ἡδύς—ἡδονή, γαμέω—ἔγημα, δάκνω—δήξομαι, θάλλω—τέθηλα, κλάζω—κέκληγα, λαγχάνω—λήξομαι, λαμβάνω—λήψομαι, λανθάνω—λήσω—λήθη, ἔλακον—λεληκώς, μανοῦμαι—μέμηνα, ἐπάγην—πήγνυμι, ἐπλάγην—πλήσσω—πληγή, ἐῤῥάγην—ῥήγνυμι, σαπήσομαι—σήπομαι—σέσηπα, ταράσσω—τέτρηχα, ἐτάκην—τήκω, διέτμαγεν—τμήγω, φθάνω—φθήσομαι, χανοῦμαι—κέχηνα, φανῶ—ἔφηνα πέφηνα et alia in αίνω exeuntia. Nominum exemplum mihi praesto non est nisi: μακρός—μήκιστος—μῆκος.

Huius mutationis ceterarumque vocalium vicissitudinum leges persequi et ut in nostra lingua, cuius incunabula accuratius cognita habemus quam Graecae linguae, in disciplinam redigere, nemo adhuc, quod sciam, conatus est, sed siquis hanc rem illustraverit, magnum disciplinae grammaticae afferet incrementum.

Fuit autem hoc discrimen inter Iadem et Doridem, ut α breve ubicumque in Iade in η transiret, in Doride produceretur. Atque in terminationibus liquet hoc discrimen fuisse; sed etiam in stirpibus, in severiore certe Doride, tam saepe α videmus positum, ubi η in Iade, ut utrumque ex α brevi profectum esse coniici possit. Etenim ex quo tempore lingua Graeca primum gradum egressa et quodammodo excoli coepta est, dialecti separatae fuerunt[1]), unde fit, ut multorum vocabulorum stirpes primitivae et omnibus Graecis communes cognosci

1) Hoc non omnibus viris doctis probari non ignoro; cf. Matth. gramm. Gr. p. 10. not.

non iam possint. Supervacaneum forsan videatur de hac re verba facere, quae cum ab omnibus viris linguae Graecae peritis concessa sit, tum ab Ahrensio p. 129. sic expressa est: „in universum hanc legem constituere licet, Dorienses cum Aeolibus longum α habuisse pro Ionico η, quod ex α natum esset.“ Neque vero in universum modo hanc legem valuisse censeo, sed ad omnes formas pertinere, in quibus Dores ᾳ longum, Iones η habent. Neque desunt exempla ad illam legem confirmandam; praeter illa quae paullo ante enumeravi vocabula, in quorum plerisque Doris α admittit pro η, haec afferre possum:

Ἀλίβατος Doricum et ἠλίβατος Homericum derivantur ab ἀλιτεῖν et βαίνειν, quae Buttmanni sententia (lexilog. II. 182) nunc quidem plerisque probata est.

Vocabulo ἥλιος, ἠέλιος et Dorico ἅλιος, Ἀέλιος subest stirps communis ἀλ, quae conspicitur in ἀλέα „solis aestus,“ pro qua forma veteres lexicographi ἁλέα scribi volunt, cum α brevi (Od. 17. 23, Aristoph. eccles. 541).

Substantivum ἄνεμος breve α habet; adiectivum quod inde ducitur, Ionice ἠνεμόεις est (Il. 3. 305), Dorice ἀνεμόεις Aesch. Ch. 585 [1]), adiectivum compositum εὐανέμοις Soph. Ai. 198, contra ἀνήνεμον Oed. Col. 677.

Δύστηνος et δύστανος a nonnullis grammaticis veteribus a δυσταίνειν verbo ducuntur, cuius stirps δυσταν foret; probabilius id vocabulum a δυς et στένειν derivatur

1) Versus indico Aeschyli ex editione Hermanni, Sophoclis ex ed. Dindorfii minore, Euripidis ex ed. Kirchhoffii, fragmenta ex collectione Nanckii.

cuius verbi stirps α breve continet, sicut δέρειν verbi stirbs δαρ apparet in δέδαρκα, ἐδάρην, et τείνω — τενῶ stirpem τα habet in τέτακα.

Ζηνός et Ζανός reliquosque casus nominis Ζεύς a verbo ζάω duci cum per se veri simillimum est, „quod omnia faciat vivere,“ tum confirmatur plurimis veterum testimoniis, quae Dindorfius in H. Stephani thesauro linguae Graecae affert.

Κλῆρος et κλᾶρος derivantur a verbo κλάειν „frangere,“ quia fragmentis testarum et ramorum veteres utebantur sortientes.

Ex eadem lege sequitur, Doricum α non admitti pro η ex ε orto; numquam invenies γᾶρας, γαράσκω pro γῆρας, γηράσκω, quae vocabula cum γέρων cohaerent; pro ἥσω, futuro tempore verbi ἵημι, cuius stirps ἑ est, numquam ἅσω. Adversari quidem videntur huic normae formae quaedam ut ἐξεπόνασεν, ἐδίνασεν, ἐφώνασεν.[1]) Haec ita explicantur, ut praeter stirpes πονε, δινε, φωνε alias in α exeuntes πονα, δινα, φωνα extitisse statuamus aliunde non notas.[2]) Hoc tamen concedo fieri potuisse neque ignoro factum esse, ut stirpis primitivae obliti et analogiam aliorum vocabulorum se-

---

1) Wiedasch, die Dialecte der griechischen Sprache, 2 Abth. Giessen 1821. 22. I. p. 17 eiusmodi verba enumerat, Althausius p. 21 nonnulla, quae apud Pindarum et tragicos inveniuntur.

2) Sic Boeckhius, de metris Pindari p. 291: „In flexione litteram η retinent omnes formae ex verbis in έω derivatae, α assumunt descendentes a verbis in άω ... Regulam deserere videntur ... ὠκυδίνατος, ἐδινάθην, φωνάσει, φωνᾶεν, ... credo quod veteres formae erant ... δινάω pro δινέω ... et quod φωνάω etiam apud Dorienses audiebatur.“

cuti, in quibus α pro η Ionico extitit, α productam poetae admitterent, ubi stirps ε vocalem habuit. Eiusmodi formae ut ita dicam hyperdoricae in posteriore Theocriti Doride non rarae sunt, apud tragicos inveni duas, ἀώς pro Ionico ἠώς, ubi η ex ε profectum est (Attice ἕως), Eur. Or. 1002, El. 727, Rh. 524; et ἀπύω pro Ionico ἠπύω; quod ab ἔπος duci liquet, Soph. Ai. 887, Eur. Hec. 152. Ceterum notandum est, merae Doridis monumenta non iam exstare; recte igitur Ahrensius admonet §. 2. p. 25: „Pindarus reliquique poetae lyrici Alcmane excepto mitiorem Doridem Lesbiaca et epica dialecto temperaverunt. Itaque in tanta dubitatione unde quaeque arripuerint, cautissime eorum auctoritate utemur"; et §. 19. p. 127: „Scriptoribus et poetis qui Dorice scripserunt, cantissime utendum est. Nam non solum librarii facile ad vulgare delabi poterant, sed saepissime etiam factum est, ut accuratiore Doridis cognitione destituti notissimam istam mutationem ultra ipsorum Doriensium consuetudinem usurparent. In eundem errorem haud raro ipsi poetae et scriptores inciderunt, qui post Alexandri aetatem Doricam dialectum arte imitati sunt." Cf. Buttmanni gramm. Gr. §. 1. not. 1.

Utebantur dialecto Dorica non modo qui natione Dores erant, sed sicut post Homerum cuiusvis poetae sermo magis minus ad Homericum se conformabat, sic postquam inter Dores genus poesis choricae exortum atque excultum est, imitati sunt eorum dialectum certum in modum omnes poetae qui eodem in genere versabantur. [1])

---

1) Ahrens, über die Mischung der griech. Dialecte, Verhand-

Hunc in modum *α* Doricum, quippe quod maxime grandiorem et venustiorem redderet sermonem, receptum ab aliis poetis, imprimis a Pindaro, in lyricas quoque tragoediarum partes transiit [1]). Hoc quamquam in universum concessum est, tamen quousque hic usus *α* Dorici apud tragicos processerit, non parva inter viros doctos est dissensio. Hoc de loco si quid certi constitui volumus, non cum Porsono nobis standum est, ceterum viro amplae tragoediarum scientiae et summi ingenii, qui „hanc regulam servandam putavit, ut Doricas formas ubicumque vel unus modo non pessimae notae codex praeberet, in textu reponeret" [2]); sed potius G. Hermanno duce utendum, qui contra illam parum criticam Porsoni rationem haec dicit in praefatione ad suam Hecubae editionem p. 74: „quis hoc temere factum arbitrabitur nec certa quadam lege et conditione? Quae lex undenam possit erui nisi ex ea causa, propter quam omnino in tragoediis adhibitur Dorica dialectus? Patet autem hoc fieri propter animi commotionem, quae quo maior est, eo magis requirit grandiorem atque insolentiorem orationis formam." Grandior autem fit atque insolentior orationis forma et metro et dialecto et

---

lungen der 13. Philologenversammlung Gött. 1833 p. 71: „Der episch-dorische Mischdialect war von Stesichorus her und weil überhaupt diese Art der Melik zunächst von dem dorischen Stamme gepflegt war, für die chorische Lyrik der normale geworden; auch die undorischen Dichter benutzten ihn, aber unter sorgfältiger Vermeidung alles zu Auffälligen."

1) Boeckh, de metr. Pind. p. 292: Doricorum Pindari canticorum dictio communis fere lyrici carminis est.

2) Praef. ad Hec. p. 13.

vocibus a vulgari sermone recedentibus. Et metrum quidem eo tranquillius atque simplicius est, quo propius argumentum ad epici carminis naturam accedit; quo magis autem affectus animi exprimit, id quod imprimis lyricae poesis proprium est, et quo vehementiores affectus, eo plus violenti habet et insolens; sic modo iambicum, modo dochmiacum, modo medium adhibuisse rhythmum tragicos videmus secundum argumenti naturam. Eundem ad finem, sicut in aliis Graecorum artibus complures illecebrae conveniebant ad pulcritudinem augendam, dialecti gravitate, quae quidem in α Dorici frequenti usu constat, utebantur poetae in lyricis carminibus. Ita cum argumentum, metrum, dialectum in omni poesi Graeca congruere videamus, a priori, ut philosophi nostri loquuntur, colligi licet, in iis carminibus, quae vividiore metro scripto sunt et affectus graves exprimunt, tragicos α illud usurpasse, ita tamen, ut pulcritudinis modum non excederent. Et sic Hermannus l. l. p. 74: „In versibus melicis, in dactylicis, in dochmiacis, semper utuntur tragici Dorica dialecto, sed ea propria quadam; nam multae sunt Doricae formae, a quibus abstinuerunt.“ „Minor est Dorismi usus in glyconeis, praesertim ubi sedatior et tranquillior est oratio.“[1]) Id tamen concedendum est, quae de Dorismo ad metrorum genera se conformante ab Hermanno et ab aliis viris doctis dicta sunt, non pertinere ad omnes Euripidis fabulas. Apparet enim, in tractandis lyricis carminibus apud eum illas formae illecebras, metrum

---

1) Hermannus ad Eur. Bacchas v. 904, ubi ἦμαρ quod libri exhibent, retineri vult, cum ab Elmsleio Dorica forma posita esset.

dico et dialectum, non aeque arctis vinculis cum argumento coniunctas fuisse atque apud Aeschylum et Sophoclem.[1]) Hoc observavit recte Ellendtius qui p. 14 sic verba facit: „Apud Aeschylum aliquanto minus Dorismum reperimus quam Euripidi placuit, qui quo ieiuniora carmina habet, tanto illa studiosius eo quasi fuco exornat"; et similiter p. 35: „Videbis... Euripidem longe maiore Dorismi adhibendi licentia uti quam ceteros tragicos...., esse autem illud adeo non ex rei natura, ut quae fabulae maxime a vera poesi discedant, eae plurimum fucato illo ornamenti genere utantur." Ex eadem illa, quam de usu α Dorici cum Hermanno proposuimus, regula sequitur diverbia, quae ab argumento et a metri simplicitate epicum colorem prae se ferunt quaeque cum Dorica et lyrica poesi nihil commune habent, Dorica dialecto carere, et quippe quae sint Atticorum hominum, Atticum habere sermonem.

Hic paullulum subsistere et materiem altius repetere liceat.

Atticam dialectum constat ex Iade cum Doride mixta prodiisse, ita ut inter lenitatem Iadis et asperitatem Doridis pulcrum medium teneret. De qua re non est quod pluribus disseram, sed notandum videtur, in ipsa Attica dialecto vel optimis temporibus in nonnullis formis fluctuatum esse inter η et α. Aoristum tempus ver-

1) Ab hoc opprobrio inde ab Aristophane comico saepe in Euripidem converso nuper hunc defendere et summa subtilitate potius metra eum elegisse studuit demonstrare H. Buchholtz: commentatio de Euripidis versibus anapaesticis in programmate gymnasii Cottbusiani 1864.

borum in αινω, quorum stirps breve α continet, secundum praecepta grammatica η habet, ut φαίνω — φανῶ —ἔφηνα; in aliis α producitur, ut in ἰσχναίνω, κερδαίνω, μιαίνω; in nonnullis, ut σημαίνω utraque vocalis videtur licita fuisse.[1]) In verbis πεινάειν, διψάειν, χράεσθαι et nonnullis aliis α cum ε s. η insequente in η, inde ab Aristotelis tempore in α contrahi docent cum alii grammatici tum Lob. ad Phryn. p. 61. Alia minus usitata Doridis idiomata quae vulgaris Graecorum dialectus atque ipse Atticorum sermo servavit, congessit Lobeckius in parergorum ad Phryn. p. 638 sq.

Itaque postquam vidimus discrimen η et α vocalium posteriore Graecitatis tempore non ita fixum fuisse, inde suspicari licet, id quod secundum uniuscuiusque linguae naturam probabile est, nonnullas Attici sermonis formas eo tempore quo tragici florebant, alias fuisse atque quales ex optimis prosae scriptoribus novimus; quod quidem demonstrari non facile potest, cum ex eodem tempore documenta orationis solutae non habeamus; Thucydides enim et Antiphon, quorum opera Atticae orationis solutae monumenta vetustissima habemus, post optimum tempus tragicorum scripserunt, et paucis illius aetatis inscriptionibus Atticis, quas me quidem accuratius perscrutatum non esse confiteor, monente Ahrensio §. 2. p. 8. caute utendum est, metricis certe, „quia mixtam ex arbitrio dialectum habere solent.“

Inveniuntur in tragicorum diverbiis nonnulla vocabula cum α longo, quae non cum Schäfero p. 13. Dorica

1) cf. Matth. gramm. Gr. §. 185. et Lobeckii notam ad Phryn. p. 24, ubi rem ita confecit. ut non habeam quod addam.

appellata et habita velim, sed potius Dorice sonantia, re vera autem veteris Atticae linguae propria, in qua tunc temporis aut solae illae formae aut simul cum aliis η continentibus in usu fuisse videntur; sin autem utraeque formae usitatae erant, non mirum, tragicos ex his eas sibi vindicasse, quae gravius et venustius sonarent. Althausius cum satis habuerit inde a p. 38 eiusmodi vocabula enumerare, neque ea integra, accuratius singula contemplari liceat et primum quidem Lobeckii notam ad Phryn. p. 428 inspicere. Is enim ποδαγός, κυναγός, λοχαγός et nonnulla alia cum ἄγειν verbo composita „non Dorica conversione effecta, sed ex communi usu repetita“ esse docet et hanc observationem addit: „Imprimis mihi animadvertisse videor, vocabula musica, palaestrica et militaria, quarum scientia florebat Graecia Doriensis, Dorice colorata esse, velut ipsum illud λοχαγός et οὐραγός et ξεναγός et χοραγός, quae ne Athenis quidem omnia, nedum in communi dialecto colorem mutarunt, et hinc ad Romanos transfusa tum quoque tenoris sui permanserunt.“ Sed in horum vocabulorum usu ne tum quidem sibi constitisse Atticos, docent formae κυνηγέτης, κυνηγετεῖν. Idem Lobeckius ὀπαδόν et ὀπαδεῖν non tragicorum propria, sed etiam „in communi sermone minime lubrica“ fuisse compluribus exemplis et Eustathii observatione: „ὀπαδὸς κοινῶς, quod quidem sepultae antiquitatis monumentis inniti videatur“ demonstravit. Deinde δαρόν Doricum dici nolim, cum δηρόν Ionicum fuisse constet, ab Atticis autem alterutrum usurpatum esse equidem demonstrare non possim.[1]) Non minus

1) Quod Ahrensius dicit p. 139, δαρόν ne ab Attica quidem dialecto alienum esse, nescio unde colligat.

ἕκατι [1]) immerito pro Dorico habetur, cum eius vocis forma apud recentiores poetas saepius ἕκατι quam ἕκητι fuerit. Deinde negaverim tragicos ubi in κάρα, κάρανον et in iis quae cum his composita sunt vocabulis, α admiserunt, ab Attico sermone recessisse; nam teste Hesychio κάρα Atticum, κάρη Ionicum est. Genitivum ναός, quam formam ubique apud tragicos pro νηός restitui vult Elmsleius ad Med. 510, et ναῶν non tam antiquiori Atticae quam communi dialecto (τῇ κοινῇ) vindicaverim, in qua etiam formas νάα et νᾶας usurpari docet Matth. gr. Gr.; genitivus νεώς contra, qui a tragoediis non alienus est, sicut nominativus νεώς, qui templum significat, et alia nomina quae in εώς exeunt, Atticismi, νηός autem solius Iadis proprius fuit. De δάϊος et δήϊος quod Hermannus ad Ai. 784 exposuit discrimen, illud in senariis miserum significare, hoc hostilem, in melicis Doricam formam utrumque significasse [2]), fictum mihi videtur et obstat Aesch. Prom. 354; δάϊος potius Attica aut vulgaris forma, δήϊος autem si modo admittenda est, ex epica dialecto sumpta videtur.

Ad ea quae de voce ἠχή dixit Althausius, addi potest, esse vocabulum inde derivatum, in quo α habet Aristot. hist. an IV. 7 (in Bekkeri ed. maiore I. p. 532. b. 16) ἀχέτας, nomen cicadae. Cetera quae Althausius enumerat concedo Doricum habere colorem. Quorum

---

1) Althausio cum ἱστατι componenti dativus videtur fuisse; adverbium esse multis evincit Apollonius grammaticus, quem laudat Dindorfius in Henr. Steph. thes. v. ἕκητι.

2) Hanc ipsius notam videtur oblitus esse aut sententiam mutasse Hermannus, cum notam ad Aesch. Ag. 537 scriberet; cf. praeterea Lob. ad Ai. 784.

seriem ut plenam reddam, adiicio Ἀθάνα, nomen Deae, quod omissum ab Althausio miror; βαλός „limen," (Aesch. Ch. 565.) a verbo βαίνειν derivatum;[1]) ἀμός s. ἁμός — nam de spiritu non convenit inter veteres grammaticos — quod aeque pro ἐμός et ἡμέτερος usurpatum fuisse videtur,[2]) Pindari et Theocriti proprium, legitur saepe in melicis tragicorum, interdum in diverbiis Aesch. Sept. 635, Soph. El. 279, Phil. 1314, Eur. El. 554. Αὔδασον legitur in fragmento Ἀργοῦς Aeschyleae (20):

πoῦ δ'ἐστὶν Ἀργοῦς ἱερόν, αὔδασον, ξύλον;

ad quem versum Dindorfius: „αὔδασον non est in αὔδησον mutandum: videtur enim verbum ex genere eorum esse, de quibus Lobeckius ad Phryn. p. 264 sq. egoque in thesauro VI. p. 1500 diximus;" ibique aliud exemplum eiusdem formae affert. Μάτηρ primi editores Aldinam secuti vel in diverbiis scripserunt, ex quibus secundum librorum ms. auctoritatem removit Kingius, cf. Valck. ad Phoen. 11 et Wellaneri lexicon Aeschyleum. Idem Kingius pro ἑκαβόλοις Phoen. 1149, quod Archytas habet apud Iamblichum III. 12, ex libris ms. restituit ἑκηβόλοις.— Ἄραρα, de qua forma ut Dorica egerunt Valck. ad Hipp. 1091, ubi ex tragicis alios locos collegit, et post eum alii viri docti, pro Dorica habendam

1) Cum verbo βαίνειν composita sunt etiam vocabula in βάμων exeuntia quae Alth. obiter tangit; pluribus de iis disserit Lob. ad Phryn. p. 431, ubi communes formas esse ostendit, cum apud Aristophanem com. et Aristotelem legantur.

2) Id ex veterum grammaticorum observationibus, quos affert Dind. in H. Stephani thesauro et Ahrens ubi de pronominibus loquitur p. 262, colligendum videtur, quamquam is ἀμός pro ἐμός usurpatum esse non commemorat.

nego, cum ἄργηρα epicae solius dialecti propria sit. cf. Matth. gr. Gr. §. 225. 1. In σειραφόρος (Aesch. Ag. 809 in trim., Aristoph. nub. 1300 in trim., Eur. Iph. A. 220 in lyricis, ubi Kirchhoffius cum libris ms. σειροφόρος scribit) et ἱκεταδόκος (Aesch. Suppl. 683 in trim.), quae formae forsan Doricae cui videantur, α recte se habere docet Lob. ad Phryn. parerga cap. IV. §. 2. Pro ποιμάνωρ Aesch. Pers. 240 cum nonnullis libris ms. contra Hesychium ποιμάντωρ scribi malim, et in eiusdem fabulae v. 76 in carmine lyrico pro ποιμανόριον contra Eustathium ποιμαντόριον; pro ποιμήν enim, a quo ποιμάνωρ ducendum foret, vetant veteres grammatici ποιμάν dici, et hyperdorismo Aeschylum usum esse ut Theocritum I. 7., nisi alia afferuntur exempla, non facile concesserim; ποιμάντωρ autem et ποιμαντόριον ducenda essent ab adiectivo verbali quod dicunt verbi ποιμαίνω. Has formas tuetur praeterea analogia vocabuli ποιμαντῆρσιν Soph. fr. 396. v. 10. Εὐνάτειρα (Aesch. Pers. 156) et similia in diverbiis non legenda videntur, quae formae lyricis tantum carminibus concessae sunt (Aesch. Prom. 897, Pers. 136, Eur. Ion. 913), sed aut cum Hermanno εὐνήτειρα, ut εὐνήτρια in Soph. Tr. 922, εὐνήτωρ Eur. Herc. f. 27. 97, aut εὐνάστειρα, ut εὐναστήριον Soph. Tr. 918 (sic Hermannus, εὐνατήριον Dindorfius) Eur. Or. 583. Εὐνάεντος vulgo legitur in trimetro fragmenti Aeschylei 43, quamquam id quoque multas passum est mutationes.

Huiusmodi formas Dorici coloris Sophocles perpaucas admisit, qui cum in ceteris, tum in sermone perfectissimus est trium tragicorum, plures Aeschylus,

„austerae compositionis sectator"[1]), et Euripides, qui illius speciem gravitatis imitatus est.

Sequitur, ut de usu Dorismi in anapaestis disseratur, quod genus versuum diverbiis proximum est. De eorum natura quae Rossbachius et Westphalius et alii viri docti scripserunt qui in metricis versati sunt, non opus est hoc loco repetere; satis habeo hoc unum monere, ex anapaestis composita esse systemata legitima et libera. Coniuncta enim est compositio anapaestorum modo severior modo liberior cum vario argumento. Illa enim systemata legitima, sicut antea in lyrica poesi ad ἐμβατήρια adhibita erant, ad quae eorum rhythmus optime quadrat, in tragoedia a duce chori, aut dum ipse intrat et graviter ambulat, aut dum personae prodeunt et decedunt, recitabantur eamque ob rem ab aequali et tranquillo tenore non recedebant. In liberioribus autem cum non idem spectetur, amplius variari anapaestorum progressum licet et variatur secundum naturam et gradum affectus qui exprimitur. Adhibita sunt haec systemata a tragicis in carminibus lugubribus, imprimis ab Euripide atque modo a choro, modo a personis in monodiis, modo invicem a choro et una persona, modo a duabus personis invicem canebantur.

Systemata tragicorum legitima sunt:

1. ea quae choro prodeunte atque ambulante a coryphaeo recitato sunt: Aeschyl. Suppl. 1—39, Pers. 1—65, Ag. 40—103, Eum. 304—318; Soph. Ai. 134—171, Eur. Hec. 96—151.

---

1) Verba sunt Boeckhii, de metris Pind. p. 291.

2. Initio novi episodii recitati sunt hi anapaesti aut a chori duce aut a personis intrantibus ipsis: Aesch. Prom. 279—299, 558—562, Pers. 139—153, 887—900, Septem 838—851, Ag. 749—776; Soph. Oed. R. 1297—1307, Ant. 376—383, 526—530, 626—636, 800—805, 1257—1260, Phil. 1409—1417; Eur. Or. 340—347, 1011—1016, Phoen. 1485—1489, Med. 1069—1104, Hipp. 1272—1284, 1332—1337, Alc. 28—37, 753—758, Andr. 485—491, 1139—1145, 1197—1202, Tro. 232—236, 569—578, 784—800, 1106—1111, ubi coryphaeus Astyanactem de turri deiectum monstrat, 1240—1250, Rhes. 368—376, 725—727, 730—736, 739—745[1]), 875—882, Suppl. 798—801, 983—992, 1119—1128, Ion. 82—111, 1246—1251, Iphig. T. 442—452, Iph. Aul. 586—602, Herc. f. 440—447, El. 987—997, 1229—1233.

3. Anapaesti qui fabulis aut singulis episodiis finem faciunt, sunt: Aesch. Suppl. 609—613, 933—948, Prom. 880—888, 1044—1097, Pers. 527—542, 626—635, Septem 802—811, 1040—1065, Agam. 340—351, 1291—1302, Cho. 705—715, 841—855, 1062—1073; Soph. Ai. 1163—1167, 1402—1419, El. 1508—1510, Oed. Col. 1751—1780, Antig. 929—943, 1347—1353, Trach. 1259—1278, Phil. 1447—1471; Eur. Hec. 1271—1273, Or. 1692—1703, Phoen. 1765—1767, Med. 359—365, 754—758, 1069—1104, 1378—1408, Hipp. 169—174, 1456—1460, Alc. 1162—1166, Andr. 1256

---

1) Versus 725—747 aurigae sunt advenientis et cladem indicantis; interiecti sunt nonnulli chori trimetri; praecedunt anapaestos trochaici aurigae versus, qua in re auctor Rhesi in fixam tragoediarum technicam, ut ita dicam, peccavit.

—1260, Rhes. 986—989, Suppl. 1240—1242, Iph. T. 1558—1467, Bacch. 1357—1381, Heracl. 288—296, 700—706, 1053—1055, Hel. 1689—1693, Herc. f. 1516—1517, El. 1288—1353.

4. In horum numero sunt ii quoque anapaesti, qui, ut in primarum tragoediarum παρόδῳ systemata anapaestica strophae antecedebant, sic postea, ut arte atque elegantia variarentur cantica, a poetis inter antistrophica et threnos qui vocantur, interiecti sunt. Aesch. Prom. 93—100, 120—127, 136—143, 152—158, 168—178, 188—194, Ag. 1418—1421, 1430—1435, 1443—1448, 1457—1461, 1465—1472, 1481—1485, 1489—1496, 1504—1512, 1516—1526, 1534—1544, Cho. 303—311, 336—340, 367—374, 395—399, 470—472, Eum. 914—924, 936—942, 953—960, 971—977, 985—995; Soph. Ai. 201—220, 233—244, 257—262, Oed. C. 138—148, 170—177, 188—193, Ant. 110—116, 127—133, 141—147, 155—162, 817—822, 834—837. Phil. 144—149, 159—168, 191—200; Eur. Med. 96—132, 139—148, 161—173, 186—205, Hipp. 175—266, Alc. 246—251, 283—290, 873—884, 891—901, 908—915, 921—934, Andr. 505—512, 526—533, Rhes. 1—22, 34—40. Praeterea in Cyclope duo chori systemata anapaestica 480—490 antecedunt carmini antistrophico chori et Cyclopis.

Systemata tragicorum liberiora sunt quae sequuntur: Aesch. Suppl. 144—147, 157—166, Pers. 695—697, 701—703, 902—972, Cho. 1001—1004, 1013—1016; Soph. El. 86—120, 193—206, 213—226, 233—242, 1160—1162, Oed. R. 1308—1311, Trach. 971—1004; Eur. Hec. 60—95, 152—215, Hipp. 1338—1370, Alc. 77—113, 134—140,

Tro. 98—231, Ion. 144—184, 867—927, Iph. T. 123—227, Iph. A. 1—48, 115—161, 1281—1329.

Praeterea multi versus anapaestici singuli inveniuntur apud tragicos non systematici, sed versibus aloeometricis aut stropharum et antistropharum aut epodorum aut monodiarum intermixti, ex quibus nonnullos afferam: Aesch. Septem 856 sq., 862 sq., Eum. 1016, 1019, 1023, 1027; Soph. Oed. R. 469—471, 479—481, Oed. C. 135 sq., 167 sq. et complures inde a v. 216. Trach. 1006 sq., 1027 sq; Eur. Hec. complures inter 1034 et 1063, in Oresta monodiae Phrygis 1372—1510 multi anapaesti sunt interiecti, Phoen. inde a v. 162, 828 sqq., 1291 sqq., 1493, 1495, 1548 sq., Med. 133 sq., 149—151, 174—176. Omnes autem versus anapaesticos colligere singulos opus visum non est.

Ex tragoediarum Graecarum fragmentis ad commentationem meam vix aliquem fructum percipi posse confido; primum enim cum quae habemus plerumque propter argumentum, non propter verba afferantur ex tragicis, atque saepe quidem memoriter, non pro certo habemus num ad litteram expressa ad nos pervenerint; tum quia raro longiorem anapaestorum seriem traditam habemus, cognoscere non licet, utrum ex legitimo an ex liberiore systemate sumpti sint, ex quo discrimine Dorismi et Atticismi usum quodammodo pendere videbimus. Tamen ut rem integram pertractem, e fragmentis omnes anapaestos enumerabo. Aesch. frg. 56. 127. 184. 185. 186. 378. Soph. 82. 249. 250. 266. 278. 360. 489. 490. 515. 528. 684. Eur. 9. 47. 114. 152. 153. 231. 232. 310. 449. 475. 476. 505. 550. 595. 596. 597. 721. 722. 723. 740. 745. 836. 889. 902. 904. 905. 908. 910. 927.

1033. Phrynichi 2. 10. 11. 17., Achaei 2., Nicomachi 1., Thespidis 4., adespota 72. 115. 245. 306. 308. 317. 327. 380. 402. 404. 418. 556.

Ita anapaestis in classes redactis iam deinceps singulos locos anapaesticos perlustrabo.

Ea systemata anapaestica, a quibus parodus a coryphaeo recitata coepit, a diverbiorum sermone fere non differunt. Itaque habent communes omnino formas Soph. Ai. 134—171, Eur. Hec. 96—151. In Aesch Suppl. 1—39 et in Persis 1—65 leguntur nonnullae formae, quas supra veteris Atticismi proprias esse diximus quaeque in diverbiis quoque inveniuntur: *φοξανορία*[1]) Suppl. 8, *ναΐον* 2, *ναῶν* Pers. 19. 40. 55. In tanto Atticismi concentu offendit, quod in anapaestis paradorum Agamemnonis et Eumenidum inter multas formas communes leguntur nonnullae Doricae, quae, si omittimus Ag. 57. *ὀξυβόαν*, quod sicut *βόαμα* in trimetro eiusdem fabulae 887 antiquiori Atticismo tribuendum videtur, v. 63 *πολυάνορος* (cf. Suppl. 8), v. 72. *ἀτίτᾳ*, pro quo *ἀτίται* malim, sunt hae: *Ἀτρειδᾶν* 44, *χιλιοναύταν* 45, *ἀρωγάν* 47, *ἀγανά* 101, *ἀμά* Eum. 308, ut Canterus pro *ἅμα* scribi voluit, quamquam *ἀμός* pro *ἡμέτερος* alias apud tragicos non legitur, terminatio *α* autem a sermone horum anapaestorum recedit. Itaque liceat aliquid amplius mutare; etenim quoniam Aeschylus hoc vocabulum ab Homero petivit, petiisse ab eo eandem formam huius vocabuli veri similius est, et sicut ab illo dictum est *ἀμῆς* Od. 11. 166, *ἀμήν* Il. 16. 830., Aeschylum hoc loco scripsisse *ἀμή*. Illud *ἀρωγάν* autem, cum non

1) Cf. Alth. p. 41.

multo post v. 73 communis forma ἀρωγῆς legatur, quod aperte ad illud prius respicit, non dubito in ἀρωγήν mutare. Sic tres Doricae formae restant: Ἀτρειδᾶν, χιλιοναύταν, ἀγανά, quae utrum ut plenius atque venustius sonantes neque nimis insolitae Atheniensium auribus ab Aeschylo scriptae an errore librariorum in textum illapsae existimandae sint, nunc quidem disceptare nolim. Wellauerus quidem et Blomfieldius omnes Dorismos ex his anapaestis reiecerunt. Ceterum postea ad has formas redeundum mihi erit.

Alter usus anapaesticorum systematum legitimorum erat, ut ad novam scenam transitum facerent, ita ut aut coryphaeus personam intrantem alloqueretur aut ad illam chori ceterarumque personarum oculos converteret, interdum iam ante eius adventum aliquot systemata pronuntiaret, aut persona ipsa quae intrabat, quis esset et ad quem finem venisset, paucis systematis declararet, imprimis, si actor qui intrabat Dei personam agebat, ut in Prom. 286 sqq. Oceanus, in Philocteta 1409 sqq. Heracles, in Alcestide 28 sqq. Mars, in Hippolyto 1272 sqq. Artemis, in Electra Euripidea 1229 sqq. alter Dioscurorum. Horum anapaestorum tantum abest argumentum ut lyricum sit, ut certas quasi dicendi formulas in iis saepe repetitas videamus. Eadem fere formula incipiunt quatuor systemata anapaestica: Pers. 148, Sept. 838, Eur. Suppl. 798, Iph. T. 442; voculis καὶ μὴν ἐσορῶ s. στείχει s. alio eiusmodi vocabulo cum multi trimetri, tum anapaestici versus Ant. 526, 1257, Or. 340, 1111, Hipp. 169, 1332, Andr. 585, 1139, Suppl. 983, Tro. 232, similiter Ant. 626. Secundum huius argumenti naturam linguam quoque ab Attica non discedere vide-

mus; sic in Aeschyli anapaestis nullus omnino Dorismus invenitur praeter ἁμέτερον in Persis 145, cui vocabulo in uno tantum codice η superscriptum est. In Sophoclei Oed. R. v. 1297—1307, ubi caecum Oedipum intrantem alloquitur chorus, si cum Dindorfio v. 1303 φεῦ φεῦ δύστανος perperam in textum venisse putamus, inter multas communes formas non legitur nisi μακίστων 1301, quod Hermannus ad hunc versum non minus quam μάσσων significatione μέγιστος, μείζων saepius a tragicis usurpari docet compluribus exemplis allatis, duo alia exempla afferente Althausio ex trimetris Aeschyli. In quinque Antigonae systematis anapaesticis quae huc pertinent, non legitur Doricum nisi 804 παγκοίταν, cuius nominativus παγκοίτας 810 in stropha legitur, nullo alio loco.

Euripidis anapaestos si eo ordine quo supra enumerati sunt, perlustramus, in iis Medeae fabulae versibus, qui nuntii adventum antecedunt 1069—1104, offendit inter plurimas formas communes v. 1082 ἀπειροσύναν, pro quo codex Vat. solus. Atticam formam praebet, superscripto 'αν. Deinde Dorismum invenimus in Hippolyti v. 172, ubi antecedentibus duabus formis Atticis legitur ψυχά, in eiusdem fabulae v. 1272 εὐπατρίδαν Αἰγέως παῖδα, communibus tantum formis insequentibus; in Troadum v. 574 ὦ δύστανε γύναι, quibus verbis Andromachen chorus affatur, in Supplicum versu corruptissimo 1125 pro genitivo καταλειβομένας Kirchhoffius restituit καταλειβομένην, in versu autem insequente θνατοῖς, quod exhibent libri ms., in textum receperunt editores. Θνατῶν legitur inter multas com-

munes formas etiam in Iph. A. v. 593 omnium librorum ms. consensu.[1])

Tertium anapaesticis systematis legitimis locum fuisse dixeram in fine scenae aut totius fabulae, atque hic usus posterioris tragoediae ita proprius fuit, ut Euripidis fabulae omnes exceptis quatuor nonnullis versibus anapaesticis finiantur. Quod ad argumentum attinet, haec sunt interdum diverbia, plerumque verba coryphaei de personis indicantis aut assentientis aut adhortantis aut numen aliquod invocantis aut votum facientis, aut de eventu fortunae secum reputantis aut ut exeatur monentis, denique non diversa ab iis, quae chorus, ut spectator et arbiter, trimetris quoque dicit; cur idem dum personae exeunt anapaestis dictum sit, supra monitum est. A poetica autem dictione altius assurgente tam alieni sunt eiusmodi anapaesti, certe in Euripide, ut huius poetae pleraeque fabulae valde ieiunis versibus finiantur. Quid quod tres fabulae Euripideae Orestes, Phoenissae, Iphigenia Taurica iisdem tribus versibus finiuntur, iidem quinque versus finem faciunt quatuor fabulis Alcestidi, Andromachae, Bacchis, Helenae et primo versu mutato Medeae. Hac de re, in qua iam pridem haesitavi, liceat pauca verba facere. Etenim ad hunc consensum mirum explicandum S c h o e n i u s satis habet in nota ad finem Baccharum scholiastae verba afferre: *ταῦτα εἴωθε λέγειν ὁ ποιητὴς διὰ τὰ ἐν τοῖς*

---

1) Quam non sibi constiterint poetae, aut si quis mavult, librarii in Dorismi usu in anapaestis, in hoc ipso vocabulo intelligitur, cuius forma communis legitur in Soph. Ant. 822, 835, Oed. C. 1762, Eur. Iph. A. 836.

δράμασιν ἐκ παραδόξου συμβαίνοντα, quam explicationem nullam esse, imo choliastem ex eo quod fines quinque fabularum congruentes vidit, hanc poetae consuetudinem collegisse quis est quin videat? Nec magis Hermanni notam ad eiusdem fabulae finem probare possum, quam ad verbum afferam: „Qui factum sit, ut Euripides quinque fabulas iisdem versibus finierit non memini me a quoquam interpretum indicatum legisse. Scilicet ut fit in theatris, ubi actorum partes ad finem deductae essent, tantus erat surgentium atque abeuntium strepitus, ut quae chorus in exitu fabulae recitare solebat, vix exaudiri possent. Eo factum, ut illis chori versibus parum curae impenderetur." In eandem sententiam abeunt Pflugkius et Klotzius. Confisum scilicet poetam, spectatores ultimis fabulae versibus non iam aures daturos, ex alia fabula eadem verba repetivisse putant. Id quovis poeta vel deterrimo indignum. Boeckhius in libro suo quem de tragicorum Graecorum principibus scripsit, ubi de repetitionibus eorundem sententiarum agit (cap. 20. p 250), „minime, inquit, offendunt repetitae de industria solemnes dramatum clausulae, ut illa πολλαὶ μορφαί in fine Alc. Andr. Bacch. Hel., et uno versu mutato, Med.; neque altera ὦ μέγα σεμνὴ Νίκη in Or. Phoen. Iph. T." Atque quamquam non negligentiae atque incuriae Euripidis tribui vult hanc repetitionem, tamen frustra simile exemplum quaesiturum fuisse puto virum doctissimum, in quo quinque deinceps versus quater vel quinquies ad verbum repetantur; neque tam inops verborum erat Euripides, ut etiamsi eadem fere sententia complures fabulas concludere voluisset, quae sane sententia ad finem multarum fabularum quadrat,

iisdem verbis ei utendum esset. Itaque ut opprobrio poetam liberem, hanc eorundem versuum repetitionem actoribus tribuere malim, quos constat suo arbitrio e memoria multa mutasse atque inseruisse, imprimis praeclara poetarum dicta, proverbia, locos quos dicimus communes, ubi aptum censerent. Eaeque mutationes atque intercalationes postea saepe in textum scriptum receptae sunt. Hoc modo multos versus repetitos et ubi non debebant adiectos esse nostrae aetatis critici cognoverunt. Quae cum ita sint, magnopere miror, Bernhardio cum in Gr. lit. historia II. 2. p. 384 ed. alterius eundem exitum quinquies repetitum commemoret, non in mentem venisse hanc rem sane miram interpolationibus per actores factis explicare, de quibus p. 98. 111. 378 eiusdem voluminis dixerat. Nauckius in editione sua Euripidis plerarumque fabularum extremos versus cancellis sepsit; sed in studiis eius Euripideis inter lectiones Academiae Petropolensis impressis 1859. 1863, ubi eum huius rei causas redditurum exspectaveram, nihil inveni quod huc pertineret; atque suspicor eam viro doctissimo unam ex difficultatibus non solvendis fuisse, quarum mentionem facit ad Androm. p. 124. Num quid ab alio temptatum sit ad demonstrandum illos versus spurios esse, ignoro atque dubito possitne hoc certis argumentis evinci, cum neque veterum testimonia hac de re habeamus, neque res ipsa aliquam ansam praebere possit.

Post hanc digressionem singula intueamur ab Aeschylo initium facientes. In Septem v. 1041 genitivus *Οἰδιπόδα*, qui legitur in eiusdem fabulae v. 862 in lyricis, in Eur. Phoen. 354 in dochmio, apud Atticos non

inauditus fuit, cum Matthiaeus gr. Gr. §. 68. 9. ex Thucydide et Xenophonte genitivos nominum propriorum primae declinationis in ᾱ exeuntes afferat, illi autem Οἰδιπόδα nominativus Οἰδιπόδης substituendus sit. Formam βάτω quae exstat in Soph. Ai. 1414, Althausius p. 43. exemplis e trimetris sumptis probavit non Doricam, sed veteris Atticismi propriam fuisse. Πρύμνα correpto α, quae forma in Phil. 1451 legitur „usitatiorem Atticisque acceptiorem“ dicit Lob. ad Phryn. p. 331, qui ibidem alias voces primae declinationis affert in η et α exeuntes.[1]) Elmsleius quidem πρύμνην veterem formam esse contendit et cum eo sic scribit Hermannus, qui de hoc vocabulo egit ad Phil. 482, ubi πρύμνην metrum postulat; sed his in grammaticis minutiis Lobeckium potius secutus, virum amplissimae doctrinae et certi iudicii, equidem illud πρύμναν quod ll. ms. exhibent intactum malim.

In Medeae versibus 359—365, qui iratam Creusam exeuntem prosequuntur, legitur vocativus δύστανε, ceterum apud Euripidem nihil Doricum.

Iam si ad ea quae hucusque dicta sunt respicimus, haec summa nobis erit facienda. Systematum anapaesticorum legitimorum tres priores ordines quos supra posuimus, non differunt a diverbiis trimetrorum et trochaicorum versuum nisi metro ad rhythmum graviter incedentis hominis apto. Eique sedatae dicendi rationi respondet dialectus communis, quam cum dialecto trimetrorum sic congruentem vidimus, ut quae ei adversan-

---

1) Cf. notas editorum ad Moeridis Atticistae v. θοίνη, p. 169 ed. Kochii.

tur, singulorum locorum natura explicanda aut errori librariorum tribuenda censeam. At formas quidem Ἀτρειδᾶν[1]) Ag. 43 et εὐπατρίδαν Hipp. 1272 Atticas fuisse aut tragicorum sermonis proprias nullo indicio demonstrari potest; sed si consideramus, illud ζεῦγος Ἀτρειδᾶν a senibus dici de nobilissimo et amplissimo regum pari et illo εὐπατρίδαν Αἰγέως παῖδα Theseum regem alloqui Deam, licuisse videtur poetis, his locis inusitata et graviore forma uti. Simili de causa vocabulis illis χιλιοναύτας, quod etiam in Eur. Iph. T. 139 in lyricis legitur, et παγκοίτας in Soph. Ant. 804. 810 graviorem formam tributam esse dixerim, quia illi priori notio peramplae molis inest, hoc Tartari epitheton aliquid severi atque triste habet. Deinde δύστανε ab Euripide bis Tro. 574 et Med. 359 usurpatum videmus, quod praeterea in syst. an. lib. inter communes formas legitur Hipp. 238., ut taceam, libros ms. in trimetris quoque fluctuare. Placuisse videtur Euripidi in allocutione cum emphasi quadam pronuntiata hanc severiorem vocabuli formam usurpare, cui notio tristis atque funesta insit. Quae restant Doricae formae θνατοῖς, θνατῶν, ἀγανά, ἀπειροσύναν, ἁμέτερον, ψυχά nostri temporis homini difficile est iudicare utrum errori librariorum vel arbitrio criticorum tribuendae sint, qui iisdem formis carminibus lyricis assuefacti erant, an poetarum ipsorum propriae fuerint,

---

1) Forma eiusdem terminationis ᾶν legitur in anapaestis Ag. 1536 Πλεισθενιδᾶν. Quibuscum si quis illud Οἰδιπόδα confert et quae de eo dicta sunt, suspicari licet, hanc genitivi formam in ᾶν exeuntem in nominibus propriis non plane alienam fuisse a vetere Atticismo.

qui hac ipsa re servire studerent Atticorum hominum auribus, quibus utrum quoque in loco venustius sonuerit, Atticum an Doricum, nos quidem haud facile discernere possumus; fuisse autem eorum aures valde acutas atque quovis colore dialectico eorum sermoni inducto certo quodam modo affectas satis constat.[1])

Anapaestorum quos quarto loco posui non eadem ubique est ratio. Qui mos intercalandi systemata anapaestica cum profectus sit ex usu initium parodi anapaestis faciendi (quamquam horum vis, quod ad rhythmum attinet, non eadem erat, neque choro neque personis in scena incedentibus) et quamquam hae tragoediarum partes ad lyricam poesim propius accedunt, dialectus ab Attica plerumque diversa non est. Ita communes formas continent anapaesti in Aesch. Prom. 136—194, in quibus *προςπόρπατος*[2]) 141 antiquiori Atticismo

---

1) Cf. H. Stephani de Attica lingua commentationem post thes. l. Gr. ed. Paris. impressam, ubi „nimirum, inquit, in tanta tam eloquentium hominum multitudine ipsius etiam plebis aures ita assueverant iis quae Atticorum germana erant, ut statim adulterina internoscere possent.“ Laudat ibidem Cic. or. c. 8, de or. I. c. 4, Brut. c. 13., Plut. mor. p. 511. e.

2) Hoc vocabulum commemorat Alth. p. 42. Addere potuit in Rhesi v. 431 librorum scripturas *πορπάσμασιν* et *πορπήμασιν* a Porsono in *πορπάμασιν* mutatas idque a recentioribus editoribus receptum esse. Eiusmodi formas ne in Attico quidem sermone offendere ait Lob. ad Phryn. p. 205. Itaque *πόρπαξ* quoque Hel. 1377 in trim., Rhes. 373 in anap. non minus pro Attico habendum est quam *οἴαξ* Aesch. Sept. 2, *οἰακοστρόφος* ib. 62. Eur. Med. 520, Agam. 767, Soph. fr. 785; *ὄρπακ'* autem quod in anapaestico versu legitur Hipp. 221, Dorismo tribuendum, nisi cum aliis ll. ms. *ὄρπηκ'* scribendum est.

tribuendum est, ἔμπας[1]) autem quod v. 189 legitur, non Doricum est, sed Atticorum semper proprium fuit. In Choephororum et Eumenidum versibus anapaesticis qui quidem huc pertinent, nihil Doricum inest, neque in Soph. Phil., Oed. Col., Antig. v. 817—837, nisi quod Hermannus 822 μόνη θνατῶν 'Αΐδαν καταβήσει scribit. Sed in eiusdem fabulae v. anapaestico 113 Dindorfius Laurentianum secutus, Attica forma continuo insequente ὑπερέπτῃ, scripsit γᾶν, cum interim Hermannus plures etiam voces in Doricas formas convertisset. Ego autem cum Dindorfius[2]) ipse in illo libro ms. haud dubie optimo levia vitia a librario valde imperito admissa esse concedat, non magis dubitaverim ἐς γῆν ὑπερέπτῃ scribere quam Hermannus in praefatione ad Hec. p. 73 sq. Porsonum reprehendit in Hec. v. 99 cum libris ms. scribentem

δούλη πόλεως ἀπελαυνομένα.

In Ai. v. anapaesticis 201—262 in editione Hermanni duae Doricae formae leguntur, v. 233 ποίμναν, quae placuit etiam Lobeckio neque vero exstat in Laurentiano, et v. 208 ἁμερίας, quam Laurentiani scripturam retineri malim, sed cum communes formae antecedant et insequantur, α in η mutato.[3]) Ex iis

---

1) Atticum esse docent Schol. ad Soph. Ai. 122, ubi secundum ll. ms. ante Brunckium ἔμπης scriptum fuit, Lob. ibidem et ad v. 563, Boeckhius ad Pind. p. 476.

2) In praef. ad Soph. ed. quartam 1863. p. 4.

3) Versus 208 sq. primo aspectu non faciles ad intelligendum ab Hermanno recte explicati videntur. Aliam lectionem voluit iam scholiastes ἀημερίας quod metro repugnat. Inde coniecit Thierschius

autem anapaestis, qui in threno, commotioris et gravioris dictionis carmine, Ag. 1418—1544 leguntur, partim a coryphaeo, partim a Clytaemnestra pronuntiati, non plane removenda videntur Dorica; nam etiamsi pro γέννας 1445 γέννης vel γενεᾶς scribimus, quas formas nonnulli ll. ms. exhibent, illud γέννας librariis tribuentes, quorum alius pro γέννης notiorem formam et quae paullo infra 1539 sequitur, γενεᾶς, alius pro hoc γέννας forsan scripserit, intermixtas tamen invenimus inter multas communes has formas Doricos: Ἑλένα 1418, γᾶ bis repetitum 1504, δροίτας et χαμεύναν 1506, Πλεισθενιδᾶν 1536. Hoc tamen observasse mihi videor, poetam in iis quae Clytaemnestram dicentem facit, si Πλεισθενιδᾶν, de cuius terminatione supra dictum est, et illud γέννας excipiuntur, communes formas usurpasse, inter eas Ἑλένην 1432, antecedente 1418 in chori verbis Ἑλένα, in iis quae coryphaeo tribuit, non abstinuisse Atticis (1509 sqq,), sicut in iis quae singuli ordines chori canunt, Attica et Dorica promiscue inveniuntur, Dorica autem adhibuisse tantum in exclamationibus magna voce et cum emphasi quadam pronuntiatis 1418: ἰὼ ἰὼ παράνους Ἑλένα— et 1506—1508:

ἰὼ γᾶ, γᾶ, εἴθε μ' ἐδέξω,
πρὶν τόνδ' ἐπιδεῖν ἀργυροτοίχου
δροίτας κατέχοντα χαμεύναν.

ἠρεμίας cumque secutus est Dindorfius. Alias coniecturas et suam ipsius et Hermanni profert Lob. ad hunc locum. Illud ἠρεμίας non tam idcirco reprehenderim, quod alias apud tragicos non legitur, sed quia notio quietis vel aequi animi ad sensum minime apta videtur.

Accedimus iam ad Euripidis systemata anapaestica legitima interiecta. Ex his ea quae in Andr. 505—533 Menelaus loquitur, Dorismo carent, itemque ea systemata quae in Alcestide inde a v. 876[1]) usque ad v. 934 ab Admeto dicuntur, excepta forma ὀλοίμαν 877, quae nescio an non probanda sit. Idem enim votum communi forma πῶς ἂν ὀλοίμην legitur in Eur. Suppl. 800. In Medeae autem v. 98 in anapaest. legit. πῶς ἂν ὀλοίμαν verba sunt Medeae nonnisi Doricis formis utentis. Aliter res se habet in Medeae systematis anapaesticis legitimis quae inde a v. 139 usque ad v. 205 exstant. In his enim ea quae Medea dicit, non habent nisi formas Doricas, in nutricis versibus inde a v. 99. communes formae adeo praevalent, ut non possim quin duas Doricas παραθαλπομένα 143 et ὁρμαθῇ 191 suspectas habeam et pro βοάν quoque 136 et pro τάκει βιοτάν 141 Atticas formas restitui malim, nisi forte quis illud βοάν analogia vocis βόαμα tueri vult et formis Doricis τάκει βιοτάν pingere voluisse poetam sumit notionem vitae misere tabescentis. Videtur enim Euripides Dorismo interdum usus esse ut sermonem cuiusdam amplioris personae, ubi cum humiliore quadam colloqueretur, singularem atque speciosum et graviorem redderet. Ad hanc observationem me adduxit Matthiaei nota ad Hipp. 263, ubi

1) Versus qui antecedunt 873—875 huc referri non possunt quales Kirchhoffius et Nauckius ex libris ms. receperunt. Sane sunt anapaesti lugubres; sed tam exiguam seriem anapaestorum liberiorum ante syst. anap. legit. alibi me invenisse non memini; itaque adiectis aliquot exclamandi voculis quas nonnulli ll. ms. exhibent, illos versus in dimetros anapaesticos mutari malim.

hanc Atticismi et Dorismi vicissitudinem se conformare ait ad personas, causas autem huius rei animo magis minusve commoto tribuit, quod non ubique concesserim. Pluribus exemplis id confirmari videbimus.

An. syst. leg. praeterea adhibita sunt initio Rhesi, ubi secundum illam Euripidis consuetudinem Hectori praeter ἡμᾶς 21 Doricas (ἁμέτερος 13, πλάθουσ' 14, κοίταν 22), choro ex vigiliis Troianis composito communes formas (φυλακήν 5, πάσης 6, κεφαλὴν 7) tribuit auctor, βᾶθι v. 1. non inter Dorica referendum supra dictum est.

Systematis legitimis tragici interdum etiam usi sunt ad carmina lugubria, quorum propria forma anapaesti liberiores sunt, atque primum quidem Aesch. in Prometheo, ubi is saxis affixus et solus relictus inde a v. 88 adversam fortunam queritur plerumque trimetris versibus, interiectis duobus systematis anapaesticis 93—100, 120—127, quorum dialectus eadem est atque trimetrorum, Attica; Dorica hoc loco non continet nisi versus bacchiacus 115. Deinde Euripides in Med. 96—132, ubi de Dorica et communi dialecto eandem legem observatam videmus, de qua paullo ante dictum est, in versibus Medeae 97. 98, 112—116 Doricas, in iis quae nutrix pronuntiat 99—111, 117—132 communes usurpatas esse formas. Eodem modo in anapaestis Hippolyti fabulae 175—266 nutrici communes formas tribuit poeta; κοίτας 179, γᾶν 193, ἀπειροσύναν 194, pro quibus multi ll. ms. Atticas formas exhibent, Matthiaeus in communes mutari voluit. Phaedra contra multas Doricas formas usurpat; quae eadem Attice pronuntiat, equidem non ausim omnia in Dorica convertere, cum Dorismus nimis frequens

sermonem invenustum potius reddere auresque auditorum iniucunde afficere potuerit. Sic ἀρυσαίμαν 209, ἀναπαυσαίμαν 211, εἰργασάμαν 239,[1]) ξανθάν praecedente χαίταν 220, γνώμαν insequente ὀδυνᾷ 247 durius fortasse sonitura fuissent Atticis hominibus.[2]) Tamen probabile non est, Euripidem v. 200 κεφαλῆς maluisse, cum eandem Phaedram v. 243 in oratione non commotiore κεφαλάν dicentem faciat et in vv. 240—242, qui certe animo graviter commoto pronuntiati sunt, communes tantum usurpasse formas, cum in versu insequente sedatiore κεφαλάν scriberet.

Inter systemata anapaestica liberiora Aeschyli Dorismo locus datus non est versibus Pers. 695—697, 701—703, Cho. 1001—1004, 1013—1016; in Supplicum vv. 144—147, quibuscum plane congruunt vv. 157—160, inter Dorica legitur Ζῆν, cuius nominis forma Dorica ab Euripide solo usurpata videtur in lyricis, neque vero semper usurpata est; cf. Med. 210. Hipp. 62. 68, frgm. 475. In Persarum threno Dorismi pleno inde a v. 902 admissum esse miror μήν 964, pro quo adverbio μάν in

---

1) Promiscue apud tragicos legitur terminatio verbalis modo—μην, modo—μαν; exempla congessit Ellendtius l. l.

2) Eadem de causa video Hermannum in Baccharum v. 545 Νύσης retinuisse insequentibus ἄρα τᾶς; iuvat integram eius notam afferre: „Elmsleius Νύσας, libri Νύσης, quod servavi, quamvis mira videri possit communis inter Doricas formas. Sed cum hoc in genere tragici saepe aures consuluisse videantur, nihil iis temere obtrudendum puto. Ionica forma Νύσης, ut epicis usurpata, non est vulgaris visa, ut opinor; hic autem eam, ne quatuor continuae syllabae α haberent, praetulisse Euripidem puto.“

lyricis exhibetur Aesch. Suppl. 998. Soph. Oed. C. 151, Eur. Alc. 89, Ion. 203. Electrae versus anapaestici 86—120, cum quatuor paroemiaci spondiaci interiecti sint 87. 88. 104. 105., in numero systematum liberiorum habendi sunt.[1]) Quae Electrae monodia quamquam ad lyricam poesin propius accedit quam ad diverbium, Sophocles tamen ut Aeschylus saepe in anapaestis parodi strophas antecedentibus et ipse Sophocles in Aiace, Atticis tantum formis usus est, vel in paroemiacis spondiacis. Itaque pro πληγάς v. 90, quod L. exhibet quodque Hermannus in praef. ad Hec. p. 75 scribi vult, miror eundem Hermannum in editione sua Electrae cum Suida πλαγάς scripsisse. In anapaesticis systematis 192 sqq., 213 sqq. antistrophicis et haud dubie illegitimis semper Doricis formis usus est Sophocles neque minus in anapaestis qui epodi locum obtinent inde a v. 233. Huc referendi etiam duo dimetri an. cum exclamandi voculis, mixti senariis Electrae, quibus fratrem mortuum, ut putabat, conqueritur 1160 sq., ubi recte ὦ δεινοτάτας legitur. In versibus Trachiniarum anapaesticis inde a v. 971, qui cum propter multos spondeos tum propter paroemiacum bis deinceps repetitum in numero systematum liberiorum habendi sunt, Dorismi usus totus pendere videtur ab affectu, ex quo verba fluxerunt. In senis enim tranquilli sedatis versibus 974—981, 988—991 communes formas, in Herculis versibus 983—987, 994—997, quos commotissime magnaque voci

1) Recte dispositi videntur hi versus et infra 1160 sq. a Dindorfio; scripsit de iis Hermannus in adnot. ad Hec. v. 63. p. 76. 77.

pronuntiari voluisse Sophoclem certum est, Doricas excepto ἡ δ', ubi autem idem sedatius loquitur inde a v. 998, rursus communes et exhibet L. et voluisse poetam probabile est.

Hecubae monodia incipit a versibus sedatioribus 60 sqq., quos loquitur dum lente et servarum humeris nixa in scenam prodit; itaque communis forma τήν 60. 61. iustum locum obtinet et διερειδομένη v. 66 cum Hermanno contra libros scribendum videtur. Qui insequuntur versus anapaestici Hecubae 68—95, interrupti nonnullis aliis versibus antistrophicis, itemque versus 152—173 Doricas habent formas, in iis hyperdoricam ἀπύσω 152. Exceptae sunt hae formae: v. 71 μῆτερ ὀνείρων, de nocte dictum, iam ab Hermanno in Doricam mutata, cum inde a v. 170 saepius μᾶτερ legatur; τήν v. 78 contra Hermannum in τάν mutari, Θρήκην autem et hic et in hexametro 73, ubi Hermannus Θρᾴκην scripsit, servari malim, de qua forma recte observasse videtur Ellendtius l. l. p. 18: „Quaedam η litera scripserunt tragici ut rariorem et augustiorem formam ei praeferrent, quae cotidie usu tereretur; sic Μηλιεύς, τιήρας A. Pers. 652, 'Ασιήταν Eur. Andr. 173, Herc. fur. 534, 'Ανδρινᾶς Hipp. 731, omnes Θρῄξ q. s.“ Deinde πῇ v. 161, ubi Hermannus libros ποῖ exhibere ait, Kirchhoffius autem, cuius diligentiae hac in re plus fidei habendum, nullam librorum ms. discrepantiam commemorat; tamen πῇ in πᾷ mutatum velim, quod in lyricis plerique libri ms. exhibent Hec. 1035, Hipp. 874, Tro. 193. In carmine inter Hecubam et Polyxenam amoebaeo 174—213, quorum versuum plerique anapaestici sunt, Dorismus obtinet. Id solum notandum, Euri-

pidem 173 φάμαν et 192 φάμας, contra 179 δυσφημεῖς et 192 δυσφήμους dixisse Attice, soni, ut videtur ratione ductum. In Hippolyti monodia quam inde a v. 1338 legimus, tam frequens est Dorismus, ut paucae Atticae formae dispersae, praesertim cum in toto carmine eadem dictio idemque affectus maneat, sane offendant; sunt autem hae: ἐμῆς 1346, ἐφέστηκεν 1351, τῆς 1359, σωφροσύνη 1356 insequentibus in eadem sententia Ἅιδαν, γᾶς 1357, cum interim in nomine eiusdem terminationis, ἀπειροσύνη dico, bis Med. 1082, Hipp. 194 α exhibeant ll. ms. inter communes formas. In Alcestidis contra anapaestis liberioribus qui inde a v. 77 leguntur interrupti antistrophicis versibus, cum argumentum non ut in ceteris lugubre aut lyricum sit, sed diverbiis similius, Atticismum tam constantem videmus, ut ψυχᾶς, quod solum Doricum his in versibus legitur 110, in ψυχῆς mutandum censeam. Anapaesti Troadum incipiunt monodia Hecubae, in cuius parte priore 98—121 et querelae sedatiores sunt et anapaesti aequabilius, non secus atque systemata legitima procedunt, eamque ob rem communes formae recte ab editoribus ex ll. ms. receptae sunt, pro κεφαλά autem v. 98, non quo sententiam perversam efficere censeam, sed quia haec forma unica foret Dorica, κεφαλήν, quod alii ll. ms. exhibent, in textum reponi velim (cf. scholl. ad h. l.) Sed in altera parte quae frequentiores continet spondeos, itaque magis naturam carminis lugubris habet, Doricae tantum formae leguntur, non minus in carmine lugubri amoebaeo chori et Hecubae 152—199, exceptis Ἑκάβη, fortasse quia Ἑκάβα invenustius soniturum fuisset, κῆρυξ 184, cuius vocabuli formam Doricam legi in lyricis Soph. Tr.

97, Eur. Hec. 176, Ion. 916, Hel. 1492, El. 172, 706, communem in Ionis v. 159; et κλήρου 186, Dorica forma κλαρίου semel tantum, quod sciam, usurpata in tragoediis Aesch. Suppl. 345 in lyr. Sequitur laetum Ionis carmen in templo occupati 144—184, in quo ut convenit carmini lyrico, Dorismus sui iuris est, et quae in his Attica inveniuntur Ζηνός 158 et κῆρυξ 159 non valde offendunt; pro φήμας autem v. 181 cum Dindorfio φάμας scribendum puto. In eiusdem fabulae versibus an. 867—927 (in iis 897 et 902 versus sunt alloeometrici) Creusa cum servabus suis, ex quibus chorus constat, ab Apolline vim sibi inlatam et quae ex illo tempore perpessa sit mala communicat. In quibus versibus si libris ms. fidem habemus, mirum in modum Euripides initio Dorica Atticis miscuit, inde a v. 883 autem Doricas tantum adhibuit formas. Anapaesti liberiores deinde ii sunt, qui in Iph. T. 123—227 pronuntiantur partim a choro, partim ab Iphigenia, exceptis vv. 190. 212. 224 sq.; versus tristes et maximam partem spondiaci Doricas formas praebent permultas, Atticis plane carent. De versibus an. Iph. A. 1—48, 115—161, quorum compositio illegitima non quadrat ad argumentum diverbiis simile, auctor quicumque fuit, [1]) hoc observasse

1) Hanc fabulam postquam inde a Musgravio plerique viri docti interpolatam existimarunt, maximeque exitum et anapaestos prologum iambicum antecedentes et insequentes Euripidis esse negarunt, inter hos Boeckhius in libro de tragicorum Graecorum principibus, Bremius, Matthiaeus, et postquam qui per dimidium fere seculum in tractandis atque restituendis Graecis tragoediis princeps et habitus est et fuit, G. Hermannus in praefatione ad Iph. A. suam declaravit et probavit sententiam, nondum ea de re in diversas partes disputari desitum est.

videtur, ut seni communes solummodo formas, Agamemnoni Doricas tribueret, ubi epistulae argumentum cum sene diserte et ad verbum communicat 115. 116, 119—121, et ubi magna voce graves effundit questus

v. 136 sq: οἴμοι γνώμας ἐξέσταν,
αἶ αἶ, πίπτω δ' εἰς ἄταν;

ceteroquin hunc quoque Attice loquentem faceret; itaque in Ἀελίου v. 137 Dorismus tollendus videtur. Postremo huc pertinent versus anapaestici ex monodia Iph. Aul. 1281—1284, 1319—1329 Dorica dialecto scripti, si 1282 τύχης excipitur, quae forma communis nescio an non recte ex libris ms. in editiones recepta sit.

In singulis versibus anapaesticis, quos quidem perlustravi, eadem atque in totis carminibus lyricis, quibus illi inserti sunt, obtinet dialectus, Dorica, nisi quod in Aeschyli Septem 857 plures ll. ms. λύμη quam λύμα exhibent.

Inter fragmenta quae supra enumeravi, Dorica continent Euripidis 1033, systema illegitimum, in cuius tertio versu ἁδύ insequente θνητοῖς legitur, frgm. ad. 115 et 418, quorum anapaesti partes sunt carminum lyricorum. Reliquae formae Doricae in tragicorum fragmentis sunt in systematis legitimis ὁμόκλαν Asch. 56. v. 5, λίμναν, παντόπτας 186. v. 4. 5, γεννᾶτορ, nisi corrupta est haec forma, Soph. 249. v. 1; Εὐρώπας, Ζανός Eur. 475. v. 1. 2., θνατοῖς 836. v. 4., ψυχᾶς 904. v. 9. βιοτά 908. v. 1., in singulis versibus anapaesticis qui utrum systematum legitimorum partes fuerint necne, non apparet: Soph. 266 ἀραχνᾶν, Eur. 152. v. 3. τύχα, 722. v. 2 Σπάρταν. Sed his non multum tribuendum esse neque quicquam ex iis colligi posse nisi, in anapaestis

neque ubique usurpandum, neque plane reiiciendum esse Dorismum, iam supra dictum est.

Ita postquam singula persecuti sumus et magnam inconstantiam in usu Dorismi invenimus, iam experiendum est, num certae leges de eo constitui possint. Atque primum quidem inspiciamus quae G. Hermannus in praefatione ad Hecubam hac de re disseruit. „In anapaestorum legitimis systematibus non eadem ubique ratio obtinet. Ea systemata si per se constant atque a versibus, quorum propria est Dorica dialectus, plane disiuncta sunt, Atticam communemve linguam habent, sin arctius cohaerent cum versibus, in quibus Doricam dialectum adhibere mos est, ipsa quoque habent Doricam dialectum. Sic in Hecuba quae chorus loquitur 95—150 communi dialecto scripta sunt, eodem modo in iis quae praecedunt Hecubae lamentis primum et tertium systema. In reliquis systematibus Dorica dialectus est, quippe haec aucta animi commotione cohaerent cum antistrophicis hexametris. Ea systemata haec sunt v. 68 ὦ στεροπά 9 sq., v. 80 ἔσται τι νέον, v. 90 ἦλϑ' ὑπέρ 9 sq. In illegitimis anapaestorum systematibus, in quibus dimetri catalectici e spondeis compositi primas partes habent, semper Dorica dialectus invenitur, ut in Hecubae et Polyxenae lamentis quae post chori anapaestos leguntur. Sed ubi insigni legitimo systemati pauci dimetri catalectici interponuntur, manet systemati communis lingua, ut in Soph. El. v. 86 sqq.“ Ex his verbis doctissimi viri apparet, tum cum hoc scriberet, eum non eandem habuisse de eo, quid esset systema anapaesticum legitimum, sententiam atque quae Rossbachio et Westphalio placet et nunc quidem vulgaris est

quamque Hermannus ipse anno 1818 inde a §. 363 epitomes doctrinae metricae exposuit. Ibi enim quamquam anapaestica systemata legitima ab illegitimis per gradus discedere ait, ut interdum his simillima, alibi autem dissimillima videantur, tamen hos ipsos versus, quos in praef. ad Hec. in numero anapaestorum legitime compositorum habet, iustis de causis liberioris systematis exemplum affert §. 375. Mutasse igitur videtur de systematis legitimis sententiam, si modo recte quid sibi voluerit intelligo. Sed haec diversitas divisionis ad rem nostram non magni momenti est, sequamur ad tempus Hermannum. Is recte quidem dicit, ea systemata quae per se constent, communem habere dialectum; haec enim sunt ea systemata anapaestica quae supra in tribus prioribus locis enumerata erant, utpote quae ab argumento simillima sint senariis; praeterea Aeschyli et Sophoclis systemata anapaestica interiecta, quibus tamen singulas formas inusitatas concessimus. In horum systematum numero, quae melicis interiecta aut adiecta sunt et per se constant, habendi sunt ii quoque Euripidis anapaesti qui leguntur in Andr. 505—511, 526—536, in Alc. 246—251, 283—290, 873—884, 891—901, 908—915, 921—934, in eiusdem fabulae parodo, ubi vv. 77—85 antecedunt, versus non integri 134—140 insequuntur antistrophica. In vv. autem 93—99, 107—113, qui anapaesti legitimi non sunt, secundum Hermanni praeceptum Dorismo tantum locus foret, cum ll. ms. inter multas communes unam tantum Doricam formam exhibeant, ψυχᾶς v. 110. Contra huc referre debebamus cum Hermanno Hippolyti monodiam ex systematis legitimis compositam 1368—1370, quam versus alloeometrici sequuntur; sed

in his Doricas formas communibus mixtas invenimus. Recte observat Hermannus etiam de illegitimis anapaestorum systematis, in quibus dimetri catalectici e spondeis compositi primas partes habent. Hi anapaesti quibus interponuntur interdum alii versus, sunt: Hec. 152—213, Tro. 98—231, Ion. 144—184, 867—927, Iph. T. 123—227, Iph. A. 1281—1329.

Quod autem dicit Hermannus: „sin arctius cohaererent cum versibus, in quibus Doricam dialectum adhibere mos est, ipsa quoque habent dialectum Doricam,“ conferamus aliam eiusdem Hermanni notam, unde apparebit, quomodo illud arctius coniunctum velit intelligi. Is enim ad Hec. v. 63 p. 70 rem in metrorum ratione Euripidis propriam fuisse ait, quod „interdum antistrophica carmina anapaestis arctius coniungeret, ita ut nunc ex anapaestis sive acatalectis seu catalecticis ad antistrophicos, nunc ab antistrophicis ad anapaestos ipsa orationis perpetuitate servata transiret, modo etiam inter medios anapaestos uteretur versibus antistrophicis.“ Euripidis dicit hoc proprium fuisse, quod ii anapaesti qui apud Aeschylum et Sophoclem arcte cum melicis versibus coniuncti sunt, ipsi sunt antistrophici; huiusmodi sunt Aesch. Suppl. 144—147, 157—160, Pers. 911—972, El. 193—206, 213—220; aut pars fuerant epodi ut El. 233—242, aut proodi locum obtinebant ut Pers. 902—910, Oed. R. 1308—1311. Atque anapaesti antistrophici cum aliis versibus coniuncti non desunt apud Euripidem, cf. Med. 149—151=174—176. In his utpote in melicis obtinet Dorismus. Apud Euripidem autem exempla anapaestorum illo quo Hermannus dixit modo coniunctorum frustra quaesivi et vereor ne Hermannus ex uno hoc

Hecubae loco constituerit et hanc legem, Euripidem hoc suo modo versus composuisse, et illam, Dorismum in eiusmodi anapaestis esse usurpatum. Atqui ego in hoc ipso uno loco non valde dissentio ab Hermanno; in primo enim systemate v. 60—67 communem dialectum recte se habere concedo, in tertio vero 75—78 nego, quos versus ex animo non minus commoto proficisci apparet quam vv. 68 sqq., cum et ipsi votum contineant. Itaque in toto carmine inde a v. 68 ut in monodia, cuius argumentum ubique lamenta Hecubae sunt, Dorismum restitui malim.[1])

Praeter Hermannum nemo, quod sciam, de usu Dorismi in anapaestis legem constituere conatus est. Atque mihi quidem una lege tota res comprehendi posse non videtur. Imo, sicut anapaestorum usus, ita Dorismi in eis usus alius est in primis tragoediis quas quidem habemus, alius in ultimis Euripideis. Apud Aeschylum et Sophoclem anapaesti, nisi exstant in carminibus lyricis, habent Atticas formas, vel ii qui lamenta continent, vel tum cum systemati legitimo dimetri catalectici spondiaci interpositi sunt. Apud Euripidem idem hoc valuit, nimirum singuli versus in carminibus lyricis anapaestici Dorismum habent, ea systemata, quae diverbiis similia sunt, non habent Dorismum. Praeterea autem Euripides anapaestos adhibuit in monodiis et carmini-

---

1) De anapaestis tragicorum Hermannus praeterea disserit in nota ad Arist. poet. XII. 7; sed cum ibi de modo recitandi anapaestos agatur neque videam inde quicquam certi colligi posse ad usum Dorismi in anapaestis, non opus visum est hoc loco Hermanni illa verba examinare.

bus amoebaeis, in quibus, sive legitime sive illegitime sunt compositi, secundum lamentationes, quod est plerorumque argumentum, Dorismus obtinet; in nonnullis autem carminibus amoebaeis Dorismus et Atticismus variant simul cum personis, ut in Med. 96—132, 186—205, Hipp. 175—266. Hac in re Euripidem quodammodo secuti sunt Soph. in Trach. 971—1004, auctor Rhesi 1—40, auctor Iph. A. 115—161.

Quae huic normae adversantur neque omnia a tragicis ipsis profecta, neque omnia librariis tribuenda videntur. Singulas Doricas formas inter communes et singulas communes inter Doricas singulis locis tueri studui; in aliis ubi aurium arbitrio usi esse videntur poetae, in medio reliqui, utrum aliquid mutandum sit necne; in nonnullis a librorum scriptura recessi et recedendum puto, si modo aliqua lex hac in re valuit.